

Testamenti Authores, quando scilicet adhuc superstites, aut scripto, aut viva voce, suam de ancipiti in operibus suis occurrente oratione mentem aperiant atque exponunt, secundum tritum illud, *Optimus interpret verborum quisque suorum*; vel quos in interpretando extraordinarie, atque immediate coelesti suo numine afflat S. S. Dei Spiritus; vel denique qui certo divinorum Eloquiorum veritates & eruere, & se eruisse demonstrare possunt. In horum autem interpretum censum, & quidem medii postremique ordinis (cum primi jam diu è vivis excefferint, adeoque non amplius in Christianismo locum obtineant) non venire potest, nec Ecclesia, nec Patres, nec Concilia, nec Papa Romanus. Ecclesia enim visibilis (de qua hic sermo est; nam invisibilis, cum sit coetus omnium ad vitam æternam electorum, qui ab initio mundi fuerunt, sunt, & erunt, non potest in hac vita sententiam suam circa interpretationem Scripturæ explicare) ex reprobis conflatur & electis. Reprobi autem, nec Spiritu Dei duci, nec illius oraculorum veritates infallibiliter intelligere, ac docere possunt: Ergo nec tota Ecclesia. Quod si verò Pontificii de sua propria hoc dictum velint: Ea fanè si non tota reproba est, paucissimos continebit Electos, cum S. Literarum prorsus ignari sint non tantum omnes Laici; sed etiam plerique ex Clericis, atque ipsis Sacerdotibus. Adde, quod ipsis Laicis munus id, quod apud ipsos Ecclesiæ proprium est, nequaquam tribui possit, cum illis, qui tamen maximam apud Pontificios Ecclesiæ partem constituunt, Sacrorum Codicum ne lectio quidem, multò minùs interpretatio concessa; sed sub gravissimis pœnis interdicta sit, ac prohibita. Patres verò Concilia, & Pontificem, nec divino numine in interpretando extraordinarie afflatos fuisse, nec orationum, quas sacræ continent paginæ, veritates certo eruisse, atque demonstrasse, ostendunt eorum pugnantem inter se interpretationem. De Patribus id confitentem habemus ipsum Bellarminum, qui non rarò in suis Controversiarum libris oppositas eorum expositiones unius ejusdemque S. Scripturæ loci adducit. Sic lib. 2. de Christo cap. 2. ait, *Patres non sequimur, quando proprias ac singulares sententias aliis contradicentes defendunt. Exemplo sit Beatus Cyprianus, quem non sequimur docentem, Baptismum esse irritum, si ab hæretico tribuatur; Scimus enim hæc in re Doctores cæteros Cypriano non consensisse.* Concilia etiam Generalia inter se pugnare in locorum multorum explicatione, cuilibet ea perlegenti, ac inter se conferenti satis manifestum evadet, ut id operosa probatione non egeat. Pontifices denique multas contradictorias S. Scripturæ explicationes tradidisse, ac contraria decreta edidisse, etiam in rebus fidei, satis superque testatur Jus Canonium. Sic Innocentius primus Epistol. 3. Eucharistiam etiam infantibus dandam colligit ex Johan. cap. 6. vers. 53. *Nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habetis vitam in vobis, &c.* Posteriores autem

contra-